

1437 litanis Pontificibus, Venetias venere; unde Ferrariam transgressi, cum Eugenio, qui eo ex Bononia processerat, de Christianæ fidei unione frequentissimo conventu egere. Ita sane acciderat, ut quingentesimo ante anno ex una fide, quæ nomine & re una est, duæ factæ viderentur. Nam non pauca erant, quibus Græci a Romana Ecclesia varia-
re credebantur: qui etsi sæpius ad officium rediere, Imperatorum culpa, quæ nonnunquam ex ipsa negligentia orta est, in antiquam hæresim aliquanto obstinatiore proposito, quam inde aversi fuerant, reciderunt. Tenuit tantæ rei cognitio, immo disceptatio, non paucis mensibus: resque ex Pontificis sententia (ut postea dicetur) ad exitum perducta est. Sub id tempus, ut diximus, desperato Sforciæ adventu, negocium Abduæ fluminis ponte superandi Patres Mantuano Principi demandarant, penes quem copiarum omnium erat imperium. Militabant tunc Vene-
to nomini Mellita, Tybertus Brandolinus, Petrus Navarinus, Guidantonius & Astur Faventini, Sigismundus Ma-
latesta, Bartholomæus Collio, Guido Ranchonius, Guer-
rierius Martianus, Antonius Martinascus, ac plerique alii illustres viri. Mellita igitur, qui rationem ponendi pontis primus monstrasse dicitur, primam aciem trans amnem ducere jussus, intempesta nocte cum equitibus, quos ad id negocium paratos habuit, fluvium transnavit: ulteriorque ripa per ocium occupata, pedites lintribus noctu comparatis miro sunt silentio trajecti. Et jam utrinque Venetus jungendo ponti erat intentus, ut priusquam dies aedesset, copiæ traducerentur: quum nocturni imbræ ad Alpium radices per noctem effusi (quorum sensus ad exercitum non pervenerat) ita Larium primo lacum, ac sub auroram Abduam auxere, ut, intumescente alveo, aquis que circa utranque ripam strepientibus, non modo opus intermissum sit, sed ne lintribus quidem in tanta fluminis rapacitate ullus amplius esset usus. Tentarunt nonnulli ad suos nando redire; apparebat enim, ob ipsam exclusorum paucitatem, quum primum illuxisset, essentque illi, qui in adversa ripa steterant, a proximis accolis con- specti,